



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

18. Septembris. Si vis in amore proficere, loquere de amore. Vt enim flammam ventus, sic pia colloquia suscitant charitatem. S. Ignat. Epist. 15. April. 1543. datâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Oratio schola est, inde hauritur spiritus,
 corrigitur natura, inolita frangitur con-
 suetudo, accenditur tepor, discitur virtus.
 Utinam multos numeret discipulos!

18. Septembris.

Si vis in amore proficere, loquere de amore.

*Ut enim flammam ventus, sic pia collo-
 quia suscitant charitatem. S. Ignat. Epist.*

15. April. 1543, datâ.

DE dilecto nunquam satis cogitatur,
 nec dicitur: qui tacet, non amat; de
 eo, qui diligitur, nec materia loquendi de-
 est, nec voluntas. Hæc eloquentia non te
 docetur, sed naturâ.

Ex abundantia cordis os loquitur.
 Quàm parum ignis in sinu abscondi, aut
 odor cinnami celari, tam parum amore re-
 condi potest. Ut ille calore, iste odore, sic
 affectus per os se exerit.

Amor omnium quidem artium magi-
 ster est, maximè tamen eloquentiæ; mutus
 esse nescit, bene conscius, ut ignem sine
 folle facilè in foco, sic absque mutua re-
 novatione affectus in corde frigescere.

Loquere juvenis, ut noscam te? quem
 vitrum liquorem contineat, odore prodit,
 Pro

Profanus, & pius sermo statuunt de tuo,
qualis sit, animo sententiam.

19. Septembris.

*Volenti nihil difficile, maximè ex iis, quæ
fieri debent ex amore. S. Ignat. ad Garz.*

INvenies in quolibet vitæ genere deli-
cias, si velis; quidquid enim amaroris
rebus inesse dicimus, nos facimus; inno-
centes illæ, naturæque suâ faciles forent,
nisi fuga, & aversio nostra faceret acerbas.

In laboris condimentum natura nobis
amorem dedit. Quantum beneficium!
cum hoc nihil tam durum erit, in quo non
amans animus solatium inveniat.

Ut nobilis artifex in omni materia suam
artem exercere novit; ita quamcunque
fortunam accipiat amans, eâ in sua com-
moda uti sciet. Nulla ei poterit minùs
grata esse, amando faciet gratissimam.

Discimus amare, nec supererit, quod
formidemus. Hac arte animus ad diffici-
lia se præparet. Sinè suspitione Magiæ in-
vulnerabilis amando fiet. Nec facilius ul-
lum, neque certius laboris, & difficilium
remedium.